

A IOANNIS BAPTISTAE
FOLENGII MANTVANI, DIVI BENE
DICTI MONACHI, IN PSALMOS ALIQVOT,
iuxta Hebræam ueritatem, commentarius.

A R G V M E N T V M.

Totius uoluminis Psalmorum argumentum C H R I S T V S est, qui cum duas in se habeat naturas, modò hanc, modò illam, idcirco frequenter per psalmos ferè omnes interserit, ut doctiores habeant unde suam desinant ignorantiam, & rudiores unde ex reuelata per C H R I S T V M sapientia gaudeant.



E A T V S *Vir qui non abiit in consilio impiorum.*

Sapientes illi qui in huius mundi sapientia turgent, & se extollunt, beatitudinem uitæ cōmodis metiri solent. Ex ipsis doctiores, uirtute ipsa quidem, sed proprio ingenio acquisita. Nos uerò beatitudinē esse dicimus, Deum timere, humana omnia despiciere, cœlestia querere, nihil quod homini possit accidere intolandum putare, in Dei lege die ac nocte uersari, spreitis interim omnib. quę afferre solet calix aureus Babylonis. Hęc summa est beatitudinis Christianæ, quam

nos affabrè docuit Dei filius in terris, quando illos ipsos beatos appellauit, quib. pauperies, luctus, mansuetudo, misericordia, benignitas, cordi essent. Sed alij (ô cæca ingenia) in iocis, in risibus, in omni libidinū genere, in latis fundis, in ocio & pluma, in tyrānide, et cæteris id genus monstris & portentis, illam esse ducūt.

B Abire, seu ambulare in consilio impiorū, est illorum impia sequi studia cōsiliaq̃, quę prorsus aliena sunt à Deo: cum impius is uerè sit, qui Deo cōtempo, et sciēs & prudens malum agat. At cum consiliū à prudentia proficiscatur: prudentia uerò alia bona, alia mala cum sit: consiliū item, & bonum & malū: bonum ad eos solummodo spectat, qui diligenter ac cautè inquirūt, quibus uis & medijs, ad beatitudinem ueram pertingant: malum autem ad illos, qui diuertacula peruestrigant, quibus iam conceptam malitiam ad effectū perducant. Beatus igitur uir est, seu, ut in hebræo habetur, Beatitudines uiro sunt, qui non ambulauit in pēssimorum hominum consilijs, qui ignorant Deum: & qui ad eorum nutū, qui semper deteriora consulunt, minimè uiuit: quicq̃ ab æstu illo cordis irrequieto, quo die noctūq̃ excruciantur miseri, longè abest. Quàm felix profectò est talis qui sic non ambulauit,

Et in via peccatorum non stetit.

Peccatorem in hoc loco appellant quidam exteriorem hominē, aperteq̃ peccantem: eum uidelicet, qui in peccatis diutius uersatus, omnibus palàm per sceleratam apparentiam sese nefarium exhibet. Est sanè impius, qui nō credit. Est peccator, qui uita & moribus præ se fert incredulitatē. Mala enim desideria in se habet impius, malaq̃ cōsilia, ac pēssimas cupiditates, quę uitia in interiore homine insunt: peccatoris autem sensus, atq̃ ipsa omnino membra, earundem sunt cupiditatum, cōsiliiorumq̃, ac curarum omnium, quæ à solida cordis tranquillitate, quam beatitudinem libenter appellamus, abhorrent, & instrumenta, & adminicula. Sed incidūt nonnunq̃ etiam sancti ipsi uiri, in uiam peccatorū, cum septies in die cadat iustus, qua ratione quæso: hac sanè, ut ex lapsu cautiore facti, quàm sint in uia iustitię uitrei, quamq̃ nutantes & fragiles, non ignorent. Non stant tamen, hoc est, nō permanent, non perseverant, sed agnita peccati turpitudine, de uia peccatorū ad uiam iustitiæ statim regrediuntur. Porro uiam hominis in scripturis esse quicquid agit, quicquid conuersatur, uiuitq̃, & omnia quibus per studiū hæret, siue bona, siue mala sint, existimamus, sicut in hoc psalmo uidere est.

A